

Recueil des chartes de l'abbaye de Stavelot-Malmedy, 31

In nomine sancte et individue Trinitatis, Karolus Dei gratia rex. Regalis celsitudinis moris est fideliter sibi famulantibus donis multiplicibus atque honoribus ingentibus honorare atque sublimare. Proinde nos exempla predecessorum nostrorum sequentes libuit celsitudini nostre fidelem quemdam nostrum Berengarium comitem et ministerialem nostrum de quibusdam rebus nostre proprietatis honorare ac in ejus juris potestatem liberalitatis nostre gratiam conferre. Unde noverit experientia atque utilitas omnium fidelium nostrorum tam presentium quam et futurorum industria, quia concessimus eidem fidi nostro Berengario ad proprium quasdam res juris nostri que sunt site in pago Mimpisco in villa que dicitur . . . de terra super fluvium Ysera bonarios sexaginta, ac de nostro jure in ejus potestatem et dominationem solempni donatione transfundimus, ita videlicet ut quicquid predictus Berengarius fidelis ministerialis noster de memoratis LX bonariis terre ab hodierna die de eis vel in eis jure proprietario facere ordinare atque disponere voluerit, libero in omnibus potiatur arbitrio faciendi quicquid decreverit. Et ut hec nostre largitionis auctoritas inviolabilem atque inconvulsam obtineat firmitatem, manu propria nostra subter eam firmavimus et sigilli nostri impressione assignari jussimus.

Signum Karoli (L. M.) invictissimi regis.

Ego Bartholomeus notarius ad invicem Ludouuici recognovi.

Data XVII kal. augusti, anno VII regnante Karolo glorioso rege, inductione VIII. Actum Sparmaco villa, in Dei nomine feliciter. Amen.